

Die als Anlage IV abgedruckte Translatio ist fehlerhafter Text eines des Lateins wenig kundigen Mönchs; sie ist mit allen ihren Fehlern und den Verbesserungen eines Spätern als unbekannt und ungedruckt mitgetheilt.

I.

Prologus in vitam beati Annonis archiepiscopi.

Inter precipuas spiritalium profectuum delicias sanctorum gesta vel dicta reputari quantum arbitror fatendum non absurde videtur, quibus anima fidelis in actionis sue formam redactis enutrita crescat et impleatur in omnem plenitudinem Dei. Nam quoniam propinquante mundi occasu rarescit lux, et tenebre densantur, defecit sanctus et diminute sunt veritates, his potissimum temporibus opere precium est, nos intendere doctrinis ac descriptis electorum virtutibus, ubi inter lilia pascit et pascitur dilectus, donec aspiret dies et inclinentur umbre. Cumque in omni genere studiorum bene agendi studium premineat, constat eque in scribendi operibus nil rectius quam virtutis exempla proponi. Verum quia in plerisque mortalium virtutis nomen inane fuit, et falsarum virtutum tam multe considerantur imagines, ut veri fucatique boni distantiam vix possibile sit investigari, virtutem hic non qualemcunque acceperim, sed eam, que nos creatoris conformat imagini, queque nos in summe felicitatis et glorie, que a solo Deo est, perennitate constituat. Cupientes igitur illustris viri virtutes ac pietatis opera in multorum noticie lucem propalare, ea imperitiam nostram ratione solamur, quod licet sermo pedestris recitanti possit iure displicere, credimus tamen rebus non facile offendi eos, quorum fuerit erga dicenda fidelis et pia emulatio. Si quos vero livor aut incredulitas aurem declinare cōmpulerit, id sane rerum veritatem, que a piis ac sine dolo rationabilibus viris ad nos perlata est, mutilare non prevalet, quibus licuit, ut semper licebit, iusti immortalem memoriam posteritati scribendo transmittere. Etenim si laudatur peccator in desideriis anime sue, si protegent umbre behemoth umbram eius, multorumque res geste codicibus continentur, quorum olim periit memoria cum sonitu, quis eorum studiis audeat succensere, qui sanctorum merita celestibus ostentis declarata, ne solo¹ premantur oblivionis, adhibita in longum opera fidelium oculis spectanda proponunt? Proinde o Christi familie fidelis dispensator et abba Gerharde, dum de presulis Annonis nomine propagando curam geritis, digna sanctum Dei gratitudine remuneratis, agendo videlicet, ut que de gestis illius decore quidem ac lepido sermone, sed latius,

1) 'situ'? W.